



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

3. Tentationes minimas Tyronibus non minimi faciendas esse. Thema
idem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)

EXHORTATIO III
IN REGULAM XLI.

Exponit, tentationes minimas, Religiosis, præsertim Tironibus, non minimi faciendas esse.

T H E M A.

Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoluntur vineas; nam vinea nostra floruit. Cant. 2. 15.

V E L

Nullam debent celare tentationem. Reg. 41.



Eferunt rerum naturalium Scriptores, Vulpes, præ cæteris feris, vineis detrimentum adferre solitas: tum quòd eas suffodiant, & eradicent; tum quòd uvæ deprædentur ac depascantur. Parvulæ autem vulpes cum sint petulcæ, nec satis habeant virium, ad eas eradicandas; eas dum teneræ sunt & florent, vellicant, arrodunt, florésque decerpunt, ac terram juxta radices suffodiunt, ut vitæ humore destituantur; & solis radiis expositæ, urantur atque exarescant. Ea de causâ Cœlestis Sponsus in Cantico Canticorum c. 2. hortatur: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoluntur vineas nostras.* In sensu adæquato, ex mente S. Gregorii, Anselmi, Bedæ, Augustini in Psalm. 80. Vineæ est Ecclesia, vulpes parvulæ Hæretici subnascentes; instar vulpium, subdolè fidem & Ecclesiam subvertentes; qui dum adhuc pusilli sunt, & in paucis hærent, detegi, revinci, & exterminari debent, ne invalescant, totamque Ecclesiam corumpant. In sensu verò partiali, S. Bernardus, S. Gregorius Nyssenus & Origenes, per vineam florentem, animam gratiâ

gratiâ & virtutibus ornatam ; per vulpes, Dæmonis insidias intelligit. Verùm tur vulpes parvulas Scriptor facer nuncupat? Respondet Origenes: *Quod in rebus parvis homines ad tentationem infestent.* Monet autem capiendas esse, dum etiam animi parvæ sunt: id est minimas tentationes superandas esse: quia sicut vulpes parvulae, si non capiuntur, crescunt & adolefcunt; totamque vineam destruant: ita tentationes parvæ, præsertim periculose, si negligantur, nec statim elidantur, augentur, animam prosterunt & in præceps devolvunt, omnique gratiâ ac virtute spoliant.

Quare, cum præter vulpes astutas, exhortatione præcedente, detectas, vulpium parvularum, seu tentationum, species nonnullæ supersint, in rebus, ut videntur, parvis, re tamen verâ, periculosis; quæ Tirones potissimum exagitant, eas in præfentiarum declarabimus, quæ ratione capiendæ, ac necandæ sint, patefaciemus.

Mellissus Doctor serm. 65. asserit: *Vita sapientis sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia: in hac vinea, virtus vitis; alio palme; vinum, testimonium conscientie lingua, torcular expressio.* Sed tali, inquit, vinea, nunquam infestationes, nunquam insidias deerunt: *Sapientis autem erit sollicitus servare vineam suam, non minus, quam excolere; nec finet eam vorari à vulpibus: Nec à vulpeculis destrui ac subverti. Quanam verò sunt hæc vulpeculæ?*

I. Vulpecula est, ait Cornelius à Lapide hic, relaxatio Regulæ, & disciplinae in rebus parvis: v. g. cum in Monasterio vel Collegio, dissimulatur ru-

ptura silentii, rerum parvarum, non petitâ veniâ, usurpatio, levis inobedientia; contra Superiores obmurmuratio, discordiarum, licet non gravium, inter Fratres disseminatio. Huiusmodi enim defectus, nisi corrigantur, serpunt, crescunt, & magni evadunt, ut tandem disciplinam evertant, & omnem Regulam pessundent. Quare faciendum est, quod monet Sapiens:

Principis obsta, sero medicina paratur;

Cum mala per longas invaluere moras.

II. Vulpecula est, detractor, & surreptor, æquè ac adulator; licet initio, à rebus gravioribus non aufpicetur: tales enim paulatim vineas; id est cœtus, & societates dissolant, ac fidelium animas subvertunt. Testatur id S. Bernardus serm. 63. *Pessima vulpes, occultum detractor; sed non minus nequam adulator blandus; cavebit Sapiens ab his: dabit operam sanè, quod in ipso est, capere illos, qui talia agunt; sed capere beneficii, atque obsequii, monitisque salutaribus & orationibus pro his ad Deum: faciens mandatum Sponsi dicens: Capite vulpes parvulas, quæ demoluntur vineas.*

III. Vulpecula planè versipellis est, cogitatio quædam inhonesta, aut phantasia & imaginatio turpis, negligentex repressa. Objicit enim Tironi incauto: quid est una phantasia? una cogitatio? una exigua, obiterque percepta in his delectatio? Modica hæc & non magni momenti censentur. At cave tibi: res hæc minima tibi videtur; & tamen non raro gravissimæ tentationis, ac ruinae causa extitit. Solitus fuit asserere S. Franciscus Xaverius: *Quod si semel levissimam turpem cogitationem excutere cun-*

II.
Detractio
& surreptio.

III.
Inhonestæ
cogitatio.

æmur; id ipsum arripit, Vulpes infernalis, eoque non contenta, longum agmen fædarum specierum consequentium aduclit. Una enim eiusmodi cogitatio animo inñixa, nec sat repressa, recurrit, blanditur, allicit, carnem commouet, animum perplexum reddit; ut inter admissionem & repulsam fluctuet, & instar carti cum mure, ludat: atque ita tandem etiam voluntatis arcem expugnat. Talis cogitatio, una quasi scintilla est: & scintilla vel unica neglecta, quantum frequenter excitat incendium? Nonne integras, quandoque sylvas, civitates integras absumit? S. Iacobus c. 3. 5. de lingua ait: *Ecce quantulus (id est quantulus, quam parvus) lignis; & quam magnam sylvam incendit? A scintilla una, inquit Ecclesiasticus, c. 15. 34. augetur ignis. Videas in navi grandi bellica. plurimis machinis aeneis, militibus & epibatis instructa, omnis generis armaturæ & annonæ copiam ingentem: & quantum, putas, requiritur; ut in frustra dissiliat, & evibretur tota in auras? Non nisi una scintilla: hostili enim classe appropinquante, nec ullâ aut evadendi, aut vincendi spe affulgente; juvenis ad id constitutus, camerae pulverariæ, ignis scintillam injicit, & res tota confecta est. Simile accidit non raro, in una cogitatione aut phantasiâ: Ergo quisquis lapis, cave tibi, non consideres, quam parva res sit; sed quam grandia damna pariat. Quando parvam animi perturbationem susceperis, inquit S. Chrysostomus, ne eam neglexeris, quoddam parva sit; sed considera quanta mala pariat. Quemadmodum in domo, cum stupæ non nihil accensum viderimus, contur-*

bamur, tumultumque ciemus; non enim attendimus initium; sed ex incipiente suum considerantes, movemur, & concurrimus, ut totum caminum extinguamus.

IV. Quarta vulpecula est affectio quadam inordinata, aut amor sensualis erga hanc illamve rem creatam: ob strepit hæc vulpecula & objicit: *Quis periculi imminet; si hanc illamve personam dilexero, aut familiarius cum ea egero, & amicitiam coluero: amor hic naturalis est, adeoque non perversus; nihil eo mali intendo. Verum & hic later anguis in herba; abscondit se vulpecula. Scribit Olaus L. 18. c. 13. Vulpes si quando incidit in canem, nullumque sibi videat effugii locum, simulato latratu, canem effingit; ut imminens, mentitâ voce, declinet periculum. Non ab simili ratione, vulpes stygia vafre simulat vocem affectionis bonæ, amicitie honestæ, familiaritatis spiritualis; sed fallit, & ne deprehendatur, nequiter imponit. Amor enim naturalis & sensualis facile degenerat in carnalem, hominisque cor captivat. Ex volucrum aucupio, inquit S. Ephrem. tom. 3. serm. de Ascens. disse, quæ parva videntur non ideo contemnere; contemnit enim, ut avis in laqueum incidens, merula capiatur unguiculâ, & alarum vires frangantur ac debilitentur, ob unguem vitens; cum totum corpus sit extra laqueum, totum tamen retinetur. Ecce tanta vis est in ungue, ut dum ipse tenetur corpus totum captum teneatur. Idem in multis affectionibus, amicitiiis, familiaritatibus ac tentationibus usuvenit: vulpeculæ isti unguicula detenta sufficit; una*

una affectio inordinata sat est, ut capiãre. Diabolus imitatur fures, qui si oberatis foribus & ostiis, ipsimet domum intrare nequeant; per foramen angustum, puerum intro mittunt, qui deinde fenestram aut ostium aperiat, aditumque ad interiora domus, ad quam spoliandam venerant, patefaciat. Contigit id ante annos 25. Embriæ, ubi fures noctu in templum nocturnum irrupturi, cum per fenestram claudros ferreos ipsi penetrare nequissent, puerum de platea raptum, coactumque immiserunt, qui ostium deinde referavit, ut hierothecam & lampades argenteas auferre possent. Ita pariter Sathan amorem naturalem aut sensualem, tanquam furem parvulum, aut vulpeculam gracilem in cor hominis immittit; ut ostium deinde amori perverso pandat. *Veterator malorum Diabolus* (inquit S. Chrysostomus Homil. 87. in Matth.) *cum sit magna malitia, multa opera, ingenti studio, condescensioque nonnulla, ad perditionem hominum nititur: à minimo enim plerumque incipit.* Igitur S. Hieronymi consilium sequere: *Dam parvus est hostis: interfice; ut nequitia videtur in femine.* Perime vulpeculas; ne exerceant in vulpes: neque affectiones sensuales, ne in carnales desinant.

V. Quinta vulpecula est visio quædam incauta, aut aspectus curiosus: ubi illa obganit: Quid (quæso) mali est, si hoc illudve objectum; hanc, illamve personam fixis oculis curiosius intuitus fuero? At rursùm cave tibi: *Si nescis, oculi sunt in amore dulces*, ut Poëta canit. O quam multis oculi, scopuli exitere, ad quos animæ cymba in pacta disillit? O quoties per hæc fenestras, malè custoditas,

mors intravit? Quoties urbes & arces munitissimæ, altissimæ septa mœnibus, per subterraneum cuniculum, per aqueductum, angustumve meatum hostibus clam irruptentibus, occupata fuere? *In armato milite ferreis armis*, ait S. Ephrem Tom. 1. Serm. de morb. ling. *si per tennem aliquam rimulam telo aut ferro aditus patefiat, strenuo pugili mortem affert.* An non id expertus Henricus II. Gallix Rex, ut narrat Famianus Strada de bello Belgico, qui à capite ad calcem usque ferro testus erat; sed quia galeam oculis objectam parùm firmè constrinxerat, patebat ibi rima; per quam in hastiludio lanceæ extremitas ad ipsum oculum usque penetravit; quem ita læsit, ut paulò post ex hoc vulnere Rex mortem oppetiit. Tantum nocet rimula, non bene clausa. Tantum quodque, & majus animæ damnum parit oculus malè custoditus. An non hæc vulpecula Regem quodque Davidem aggressa est? nonne per levem immodestiam, ut curiosius evagaretur, sollicitavit? Et quid inde accidit? Per hanc curiositatem illum in concupiscentiam impulit; hinc in adultrium dejecit, ac denique hinc in homicidium deturbavit. *Noli ergo dicere* (ait S. Chrysostomus Hom. 8. in Matth.) *Quid est, si formosam mulierem aspexero curiosè? Ex aspectu namque concupiscentia; ex hac consensus & opus consequitur.*

VI. Sexta vulpecula est Tactus aliquis non obscœnus: suggerit illa: quid mali est in tactu non inhonesto, obiter solum facto, nec intentione perverisâ? Tango corpus meum, tango alterius personæ manum, aut faciem palpo. At hic rursùm **attende**

VI.
Tactus
periculosus.

attende tibi : Neque enim minima hæc in parte minimi sunt facienda. Ignis stramini admotus, nullo negotio & fumum & flammam suscitatur. Culex exile est animalculum, rostro te tangit exiguo, & si sinis, gracili siphunculo fugit sanguinem, & inde manus continuo uritur atque intumescit. Apicula exigua est volucris : *Beevis in volatilibus est apis*, ait Ecclesiasticus c. 11. 3. Et tamen si oculum, si genam, si manum tangat, & aculeo suo feriat, quantus inde tumor, quantus dolor enascitur ? Neque scorpius animalculum parvum, præter aculeum, quidquam armorum circumfert, & tamen si negligentia tua te tetigit, & vel levisime pupugit, veneno inficeris, mortisque præfens discrimen adis. Ita pariter in hisce tentationibus à minimis ad majora progredimur. Novit id Diabolus vulpes astutissima ; qui (ut docet Sanctus Hieronymus in Psalm. 140.) *Non pugnat cum contra aliquem per grandia vitia ; sed per parva ; ut possit quomodocumque intrare, ac dominari homini ; ut postea eum in vitia gravia propellat. Non per fornicationem, non per avaritiam ; sed per minima vitia ingreditur.*

Igitur principiis obsta ; manuum custodiam gere ; nè tibi fide ; homo es labilis ; si stare & perstare cupis, cautus esto ; ne à parvis in majora devolaris. Similia, nisi temporis angustia veraret, de auditu, gustu, ocio,

aliisque vitiis, vulpeculis pariter dolosa adducere liceret ; sed ne prolixiores sum, finem imponimus.

Quapropter, Dilectissimi, capite vulpes parvulas, quæ alioquin detrahuntur vineas : id est, vincite, resistite, expellite tentationes, quæ parva videntur ; sed sunt periculosa ; vigilate, ut mox in principio eas suffocetis. Principiis obstate ; secundum Medicorum consilium (Galeni L. de cur. & cogn. morb. c. 7. Hypocrat. Sect. 3. Aphor. Celsi L. 3. c. 22.) Morbi excidendi, dum adhuc pullulant, non expectandi, donec excrescant ; reddanturque intractabiles. Cavete, quantum in vobis est, disciplinæ relaxationem, crebraque Regularum etiam minimarum violationes : Vitæ detractiones, susurrations, adulationes, quamvis exigua. Eliminate quamprimum quascunque turpes phantasias & cogitationes ; modica scintilla magnum valet suscitare incendium. Examine affectionem & dilectionem vestram, præferentiam erga sequiorem sexum. Familiaritatem declinate ; ne, cum fortè spiritu caperitis, carne consummetis. Vulpes hæc dolosa est. Denique oculos manusque quam diligentissime custodite ; & potissimum in vitis attendite ; verè enim scribit B. Petrus Damiani Opusc. 15. c. 11. *Facilius est, hostiles impetus in vestro frangere ; quam admissos extra manus propulsare : Turtius est arvere præ sereno, quam laribus intronissos in terga compellere.*

